

7. *Inscriptiones* wszelakie, *et resignationes bonorum perpetuas, coram authenticis actis factas, et fiendas sub interregno*, spólnym tey Konfederacyi zezwoleniem, umacniamy, aby *sub interregno* poczawszy od dnia śmierci Krolewskiey, nikomu *in progressibus iuris fatalia*, abo *praescriptio*, nie szkodziła napotym do sprawiedliwosci iego.

8. Także ktorzy mieli *terminum* brania pieniędzy na przeszłe gody, abo na nowe lato, abo na iaki czas iuż przeszły: ci wszyscy aby byli powinni brać swe pieniądze na pierwsze sądy, dali Pan Bog po obieraniu nowego Krola, abo na pierwsze leżenie ksiąg.

9. Obiecuiemy też to sobie, że na elekcyą naznaczoną iadąc, y na mieyscu będący, y do domu się rozieżdżaiąc, gwałtu żadnego ludziom, y sami między sobą czynić nie będziemy.

10. Te wszystkie rzeczy obiecuiem sobie, y na potomki swe chować statecznie, y trzymać *sub fide, honore, et conscientijs nostris*. A kto by się temu sprzeciwiać chciał, y pokoy a porządek pospolity psować, *contra talem omnes consurgemus in ejus destructionem*. A dla lepszey pewności tych wszystkich opisanych rzeczy, przyłożyliśmy pieczęci swe do tego, y rękoma własnymi podpisali. *Actum Varsaviae in Conventione Regni Generali, vigesima octava mensis Ianuarij, anno Domini, millesimo quingentesimo, septuagesimo tertio*.

SEJM ELEKCYJNY WE WSI KAMIEŃ (OBECNIE WARSZAWA)
5 KWIETNIA – 20 MAJA 1573 R.

Pakta konwenta (16 maja 1573 r.)

Tekst: *Volumina Legum: Przedruk zbioru praw staraniem XX. Pijarów w Warszawie, od roku 1732 do roku 1782*, t. 2 (Petersburg: Nakładem i drukiem Józafata Ohryzki, 1859), f. 859-862, 133-134

Articuli pactorum conventorum.

Inter Illustrissimum Senatum, et Amplissimos Status et Ordines Inclty Regni Poloniae, ac Magni Ducatus Lithvaniae, ab una, et Reverendissimum ac Magnificum Dominum Joannem Monlucium, Episcopum et Comitem Valentiae, Aegidium de Noailles, Abbatem Insulae, et Guidonem Sangelasium Dominum a Lansac, Equitem Ordinis Sancti Michaelis, Serenissimorum Principum Dominorum, Caroli Dei gratia Regis Galliarum Christianissimi, fratrisque sui Henrici, Andium, Borboniorum et Alvernorum Ducis nunc vero, Electi Poloniae Regis, ad eosdem Status et Ordines Regni missos Oratores, parte ab altera.

Quandoquidem ita placuit Deo, qui solus hominum corda movet, et disponit, ut de unanimi sententia, atque libero assensu omnium Statuum, atque Ordinum inclyti hujus Poloniae Regni, Magnique Ducatus Lithvaniae, ac caeterarum Provinciarum ad ipsum Regnum pertinentium, memoratus Illustrissimus Princeps Dominus Henricus, Andium, Borboniorum et Alvernorum Dux, esset in Poloniae Regem, atque eundem Magnum Ducem Lithvaniae, ac caeterarum Regni Provinciarum Principem et Dominum libere electus, et publice declaratus, adessent autem ipsius Illustrissimi Principis et Fratris sui Christianissimi Galliarum Regis Nuntij supra nominati, cum plena ac sufficienti potestate ab eisdem Principibus suis huc ad Status et Ordines in optionem Regni missi, cum quibus pro salute et incolumitate hujus Regni, ac totius R. P. Christianae, certa pacta seu conditiones, ipsis Serenissimis Principibus per dictos Oratores eas sponte offerentibus, caeteris autem a Statibus Regni expeditis, sunt utrinque inita et sancita, in hunc qui sequitur modum.

Primo. Foedus perpetuum inter Galliae et Poloniae Regna, atque eorum Provincias omnes, hominesque in eis degentes, constare debet, procurantibus et promoventibus illud supranominatis Serenissimis Principibus Galliarum, et Poloniae Regibus. Verum quoniam de tanto negotio quatenus ex re utriusque Provinciae fieret, nihil nunc absque Principibus ipsis transigi potest, cum multa hic ponenda essent, quae magna deliberatione indigerent. Ideo tractatu ipso de foedere sanciendo, in aliud tempus reiecto, Oratores supra descripti ex concessa sibi ab ipsis Principibus suis facultate, haec omnia in praesentia Regno huic Polonico, et ejus Statibus, clare et aperte, nomine Serenissimi Regis Galliarum detulerunt: ut si aliquando quispiam hostium, et quaevis alia gens inimica, hoc Regnum, sive ejus Provincias non levibus excursionibus, sed justo exercitu adoriri vellet, Regem Christianissimum curaturum esse amice agere cum illis hostibus, ut a bello abstineant inferendo. Quod si obtinere nequiverit, peditatu Regnum hoc juvabit, si ita Status Regni optaverint, qui ad fines Regni transmittatur, ac si pro peditatu Vasconico equitatum Germanum Status Regni optaverint: idipsum etiam Rex Christianissimus praestabit, aut si ita Statibus ex re magis videbitur, pecunijs eos juvabit, quemadmodum etiam vicissim Galli, si Polonico equitatu egeant, illo a Polonis adjuvabuntur, stipendijs ab illis acceptis.

Item. Offerunt ac spondent ijdem Oratores Statibus et Ordinibus Regni, nomine Christianissimi Regis, in usum belli contra Moschorum Principem, quatuor millia Vasconum peditum electissimorum, quibus etiam stipendia in sex menses Christianissimus Rex persolvere debet, quod si post sex menses eorum opera sit necessaria, ad sex alios menses in illud tempus Regem Christianissimum, Fratri charissimo stipendia, quae requiruntur, non denegaturum existimat. Et tamen quidquid sit ad ea persolvenda, redivitibus Polonicis Serenissimum Regem Poloniae

electum, non esse usurum. Interim tamen de ratione istius belli contra Moschum suscipiendi, in cuius usum Vascones isti adhibendi sunt, deque ratione victus et alimoniae in illis Regionibus, quo adduci debent, Status Regni Serenissimum suum Regem electum tempestive praemonere debent, ut cum illis etiam quid certi, pro ratione annonae, de stipendijs constitui possit.

Item. Promittunt Oratores praedicti, nomine ipsius Regis Serenissimi electi, quamprimum, Deo volente, ad Regnum suum venerit, classem necessariam et sufficientem, ad tuendos portus et dominium maris, ditionis Regni et Provinciarum adiacentium, quatenus se porrigit omnis ille tractus Polonicae ditionis suo sumptu alere, quam etiam ita instituet, ut res et necessitas suadebit, et Status Regni censebunt. Cujus classis magnum usum fore animadvertunt, ad impediendam Naruicam nauigationem, sive etiam ilium portum Regno acquirendum.

Item. Pollicentur, nomine ipsius Serenissimi Regis electi, curaturum cum primo quoque tempore emporium aliquod nobile in portu aliquo Gallico, mercatoribus et mercimonijs Polonicis instituere, similiter et commerciorum mutuuum usum ordinare, adhibitis ad earn rem peritis rei mercatoriae atque nauticae absque quorum consilio hujusmodi navigationes recte institui non possunt. Jam autem nunc offerunt ipsi Oratores, nomine Serenissimi Regis Galliarum liberam potestatem commeandi, et quaevis commercia faciendi nostris hominibus, in Galliam et Alexandriam, et terras novas, eo jure atque libertate, qua Galli utuntur.

Item. Promittunt et spondent ijdem Oratores, nomine Serenissimi Regis electi, singulis annis, quoad vivet, et Rex Poloniae erit, ex redditibus suarum Provinciarum, quas in Regno Galliae habet, quadringenta quinquaginta millia florenos pecuniae, se huc in Regnum illaturum, et in usus R. P. impensurum, pro arbitrio suo.

Item. Consulendo honori atque existimationi hujus Regni, cum intellexerint illud esse gravi aere alieno oppressum, pollicentur dicti Oratores ejusdem Serenissimi Regis electi nomine, nomina seu debita Reipub: cum assensu Senatus, per defunctum olim piae memoriae Regem facta, aut etiam a morte illius usque ad adventum ipsius Serenissimi Regis electi, Reipub: causa contracta, quorum ipsimet Senatores, et Status Regni rationes suae Majestati indicabunt, ac in scriptis proferent; quod sua Majestas pecunijs suis persolvat dimidiam partem, cum primum huc ad Regnum appulerit. Reliquum autem intra decursum annorum duorum proxime sequentium; hoc autem nomine, sine quibusvis alijs, quaecunque in commodum ac beneficium istius R. P. faciet et praestabit, nihil sibi esse cautum, atque repositum volet a Repub: Regni hujus, sed gratis et libenter illi resignabit omnia, quaecunque illi, aut cuivis alteri donaverit.

Item. Spondent ijdem Oratores memorati Serenissimum Regem electum, Academiam Cracoviensem ad meliorem frugem rei literariae reducturam, evocatis

et deductis eo undecumque doctissimis viris, in qualibet professione et facultate literaria, excellentiss: professoribus, quos ibidem in Academia Cracoviensi stipendijs suis alet, ac retinebit perpetuo.

Item. Promittunt et spondent supradicti Oratores, eundem Serenissimum Regem electum, ad minus centum ex nobilium familia filios in eadem Cracoviensi, sive etiam Parisiensi Academia, ad tempus profectus illorum in re literaria, suo sumptu alere. Quod si autem Status egni maluerint, dimidiam eorum partem in literis, et aliam in armis, sive etiam in aulis Principum externorum exercere, id in eorum arbitrio esse futurum.

Item. Recipiunt et spondent ijdem Oratores, nomine supradicti Serenissimi Regis electi, eum huc secum ad inhabitandum nullos peregrinos homines adducturum, praeter paucos quorum opera in ministerio domestico utetur, quos tamen postea brevi remittet, persolutis illis stipendijs de suo: nullas etiam possessiones, aut dignitates vel officia, illis concedet, sed tantum indigenis Polonis, juxta statutum Regni.

Deinde vero, quae supramemorati Oratores in oratione sua, ad Status Regni initio istius Conventus habita, et typis per eosdem evulgata, comprehenderunt, ac Statibus Regni obtulerunt, spondent, ac recipiunt pro Dominis suis Serenissimis Principibus, facturos esse ipsos Principes omnia illa, et fideliter impleturos, quae memorati eorum Oratores promiserunt.

Item. Recipiunt et spondent, ijdem Oratores, nomine dicti Serenissimi Regis electi, eum omnia jura, privilegia, libertates, immunitates, praerogativas, unicuique Statui, et homini, ex incolis Regni, Magnique Ducatus Lithvaniae, et omnium Provinciarum illi adjunctarum, sive generaliter omnibus, sive specialiter singulis, per Serenissimos Reges, et alios Principes et Antecessores, juste et legitime concessas, vel quovis alio nomine quaesitas, ac diuturno usu approbatas, sive etiam nunc circa electionem Regis sui, ex unanimi et concordi omnium Ordinum consensu, sancitas, integre et inviolabiliter servaturum, atque etiam juramento corporali, juxta sibi traditam formam, ante inaugurationem, sive Coronationem sui confirmaturum, et literis ad id necessarijs muniturum. Quae etiam suprascripta omnia, et inde caetera consequentia, in robur certissimae atque perpetuae firmitatis, supradicti Oratores, nomine et loco suarum Majestatum, jurarunt in debita forma. Et in evidentius testimonium, ac robur firmissimum, omnium suprascriptorum, sigilla utriusque partis, tam Statuum Regni, quam ipsorum Oratorum, hisce literis sunt adhibita, cum subscriptione eorundem manuum. Actum et datum sub Varsavia, in Campo Villae Kamień, in Comitijs Magnis Electionis novi Regis, die 16 Maij anno Domini, 1573.